

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis De Finibvs Bonorvm Et Malorvm Librvm III.
Commentarius Aldi Mannuccij

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



IN
M. TVLLII. CICERONIS
DE. FINIBVS
BONORVM. ET. MALORVM

LIBRVM. III.

Commentarius Aldi Mannuccij



CICERO



VOLVPTATEM equidem, Brute, si ipsa pro se loquatur, nec tam pertinaces habeat patronos, concessuram arbitror, conuictam superiore libro, dignitati. etenim sit impudens, si uirtuti diutius repugnet; aut si honestis incunda anteponat; aut pluris esse contendat dulcedinem corporis, titillan-tem ex ea re natam laetitiam, qua gratuitatem animi, atque constantiam. quare illam quidem dimittamus, & suis se finibus tenere inbeamus; ne blanditijs eius, illecebrisq. impediatur disputandi seueritas. quaerendum est enim, ubi sit illud summum bonum, quod reperire uolumus; quoniam & uoluptas ab eo remota est; & eadem fere contra eos dici possunt, qui uacuitatem doloris finem bonorum esse uoluerunt. nec nero ita uolum probetur summum bonum, ut uirtute careat, qua nihil potest esse praestantius. itaque, quamquam in eo sermone, qui cum Torquato est habitus, non remissi fuimus; tamen haec acrior est cum Stoicis parata contentio. quae enim de uoluptate dicuntur, ea nec acutissi-

me, nec abscondite disseruntur. neque enim, qui defendunt eam, uersuti in disserendo sunt: nec, qui contra dicunt, causam difficilem repellunt. ipse etiam dicit Epicurus, ne argumentandum quidem esse de uoluptate, quod sit postum eius iudicium in sensibus; ut commoueri nos satis sit, nihil atineat doceri. quare illa nobis simplex fuit in utramque partem disputatio. nec enim in Torquati sermone quidquam implicatum, aut tortuosum fuit; nostraq. ut mihi uideretur, dilucida oratio. Stoicorum autem, non ignoras, quam sit subtile, uel spinosum potius disserendi genus, idq. cum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam uerba parienda sunt, imponendaq. noua nouis rebus nomina. quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur, cogitans, in omni arte, cuius usus uulgaris communisq. non sit, multam nouitatem nominum esse; cum constituantur earum rerum uocabula, quae in quaque arte uersentur. itaque & dialectici, & physici uerbis utuntur ijs, quae ipsi Graeciae nota non sunt. geometrae uero, musici, grammatici etiam more quodam loquuntur suo. item ipsae rhetorū artes, quae sunt totae forenses, atque populares, uerbis tamen in docendo quasi priuaris utuntur, ac suis.

CICERO

ATQUE, ut omittam has artes elegantes, & ingenuas, ne opifices quidem tueri sua artificia possent, nisi uocabulis uterentur nobis incognitis, usitatis si bi. Quin etiam agricultura, quae abhorret ab omni politiore

litiore elegantia, tamen eas res, in quibus uersatur, uominibus notant nouis. Quo magis hoc philosopho faciendum est. ars est enim philosophia uitae: de qua disserens arripere uerba de foro non potest. quamquam ex omnibus philosophis Stoici plurima nominauerunt. Zeno quoque, eorum princeps, non tam rerum inuentor fuit, quam nouator uerborum. quod si in ea lingua, qua plerique uerberiorem putant, canebatur a Graecia est, ut doctissimi homines de rebus non per uulgatis inusitatis uerbis uterentur: quanto id uel nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum audemus attingere? & si, quod saepe diximus, & quidem cum aliqua querella non Graecorum modo, sed etiam eorum, qui se Graecos magis, quam nostros, haberi uolunt, nos non modo non uinci a Graecis uerborum copia, sed esse in ea etiam superiores: elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum consequamur. quamquam ea uerba, quibus ex instituto ueterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus. Atque haec quidem de rerum uominibus. De ipsis rebus autem, saepe numero, Brute, uereor ne reprehendar, cum haec ad te scribam, qui tum in philosophia, tum in optimo genere philosophiae tan-

tum processeris. quod si facerem quasi te erudiens, iure reprehenderer: sed ab eo plurimum absum, neque, ut ea cognoscat, quae tibi notissima sunt, ad te mitto; sed quia facillime in nomine tuo acquiesco, & quia te habeo acquirissimum eorum studiorum, quae mihi communia tecum sunt, aestimatorem, & iudicem. attendes igitur, ut soles, diligenter, eamque controuersiam dyudicabis, quae mihi fuit cum auunculo tuo, diuino, ac singulari uiro. Nam, in Tusculano cum essem, uellemque, e bibliotheca pueri Luculli quibusdam libris uti, ueni in eius uillam, ut eos ipse, ut solebam, inde promerem. quo cum uenissem, M. Catonem, quem ibi esse nescieram, uidi in bibliotheca sedentem, multis circumfusum Stoicorum libris. erat enim, ut scis, in eo inexhausta auuiditas legendi, nec satuari poterat, quippe qui, ne reprehensionem quidem uulgi inane reformidans, in ipsa curia soleret legere saepe, dum senatus cogeretur, nihil operae reip. detrahens. quo magis tum, in summo otio, maximaque copia, quasi heluo librorum (si hoc uerbo in tam clara re utendum est) uidebatur. quod cum accidisset, ut alter alterum nec opinato uideremus; surrexit statim: deinde prima illa, quae in congressu solemus: quid tu, inquit, huc? a uilla enim, credo: &, si tibi te esse scissem, ad te ipse uenissem.

EXPLANATIO

STOICI plurima uerba uerunt. 3 Fere, Nominauerunt; sed, Nouauerunt, malim. E bibliotheca 3 Plut. in Lucullo, in extremo.

CICERO

HERI, inquam, ludi commissis, ex urbe profectus ueni ad uesperam. causa enim fuit huc ueniendi, ut quosdam hinc libros promerem. & quidem, Cato totam hanc copiam iam Lucullo nostro notam esse oportebit. nam his libris eum malo, quam reliquo ornatu uillae, delectari. est enim mihi magnae curae. quamquam quidem hoc proprium tuum munus est, ut ita erudiatur, ut & patri, & Caepioni nostro, & tibi, tam propinquo, respondeat. laboro autem non sine causa, nam & aui eius memoria moueor: (nec enim ignoras, quanti fecerim Caepionem; qui, ut opinio mea fert, in principibus iam esset, si uiueret) & Lucullus mihi uersatur ante oculos, uir tum omnibus excellens, tum mecum & amicitia, & omni uoluntate, sententiaque coniunctus. Praeclare, inquit, facis, cum & eorum memoria tenes, quorum uterque tibi testamento liberos suos commendauit; & puerum diligis. quod autem meum munus dicis, non equidem recuso, sed te adiungo socium. addo etiam illud, multa iam mihi dare signa puerum & pudoris, & ingenij. sed aetatem uides. Video equidem, in-

quam: sed infici tamen iam debet ijs artibus, quas si, dum est tener, combiberit, ad maiora ueniet paratior. Sic equidem, diligentius, saepiusque ista loquemur inter nos, agemusque communiter: sed resideamus, inquit, si placet. itaque fecimus. Tum ille: tu autem, cum ipse tantum librorum habeas, quos hic tandem requiris? Commentarios quosdam, inquam, Aristotelicos, quos hic sciebam esse, ueniunt auferrem, quos legerem, dum essem otiosus: quod quidem nobis, ut scis, non saepe contingit. Quam uellem, inquit, ut te ad Stoicos inclinasses. erat enim, si cuiusquam, certe tuum, nihil praeter uirtutem in bonis ducere. Vide, ne magis, inquam, tuum fuerit, cum in re idem tibi, quod mihi, uideretur, non nouate rebus nomina imponere. ratio enim nostra consentit: oratio pugnat. Minime uero, inquit ille, consentit: quidquid enim praeter id, quod honestum sit, expetendum esse dixeris, in bonisque numeraueris: & honestum ipsum, quasi uirtutis lumen, exstinxeris; & uirtutem penitus euertis.

EXPLANATIO

VT & patri, & Caepioni nostro, & tibi, tam propinquo, respondeat. 3 Ausus sum & hic pro Scipioni, reponere, Caepioni, & paulo post, Caepionem, pro, Scipionem, ductus hac nimirum coniectura, quod Lucullus puer, cui tutor a patre M. Cato relictus est, matrem habuit Seruiliam, Catonis sororem: cuius fratrem Plutarchus in Catone Uticensi Caepionem nominat. nec, opinor, ignorat quicquam, cognomen Seruiliae gentis Caepio fuisse. Est autem Caepionum hic ordo: quantum ex antiquitatis obseruatione licuit colligere. Q. Seruilius Caepio, consul anno urbis. D CXLVI I. male

male cum Cimbris pugnavit. eius filius Q. Caepio M. Scaurum accusavit; Druso tribuno pl. qui paullo ante bellum Marficum domi suae interfectus est, pro equitibus restituit, bello Marfico perijt, anno DCLXII. quibus de rebus habeo testes Appianum, Florum, Orosium, Epitomen Liviānam. Hic Caepio ex Liviā Drusi eius sorore, cum quo eum inimicitias gessisse diximus, filios suscepit, Q. Caepionem, & Serviliam, M. Catonis sororem, M. Bruti matrem, quam C. Caesar, postea dictator, adamavit: de quibus utrisque agemus. Caepionem tribunum mil. in bello Spartaci fuisse, obijisse in Asia ante quaesturam, ait Plutarchus in Catone Vticensi. Servilia primum nupsit M. Bruto, ei, quem interfectum a Pompeio Magno Sullanis temporibus docet Val. Max. lib. vi. cap. 2. idq. Plutarchus confirmare videtur in Bruti vita. peperit ex eo M. Brutum, interfectore postea, C. Caesaris: deinde uxor fuit, ut legimus in Plutarcho, L. Luculli, qui Mithridatem, & Tigranem devicerat, post dimissam ab eo Clodiam, P. Clodij sororem: ex quo filium genuit L. Lucullum, quem pater moriens in tutela uoluit esse M. Catonis, fratris, Serviliae, uxoris suae, ideo dixit hic Cicero: Tuum munus est, ut ita erudiatur, ut & patri, & Caepioni nostro, & tibi, tam propinquo, respondeat. Queri autem potest, qua ratione soror fuerit Servilia Catonis, qui erat e gente Porcia. in quo scire illud oportet, Caepionis, Serviliae patris, quem decessisse bello Marfico diximus, uxorem fuisse Liviā, M. Liviij Drusi filiam, eius, quem contra C. Gracchum in tribu natu pro senatu sterisse Plutarchus in vita Gracchorum ostendit, eius autem sororem, quem intra domesticos parietes ab occulto percussore necatum historiae narrat. haec Liviā, cum ex eo Caepione filios genuisset, ut iam diximus, Caepionem, & Serviliam diuortio facto, (non enim, post obitum Caepionis, putandum est: nam obiit Marfici belli tempore, aliquanto post alterum Liviāe coniugium: quod ex Catonis Vticensis, Liviāe filij, aetate constat: qui cum perierit Caesar, & Lepido cos. annos natos XL I IX. ut ait Plutarchus, satis constat ante Marficum bellum, idest ante Caepionis interitum esse natum) nupsit M. Catoni, ex quo genuit eum Catonem, qui se postea Vticae interemit. patet igitur, M. Catonis Vticensis uterinam sororem Serviliam, uterinumq. fratrem fuisse Caepionem, quem Catoni iucundissimum fuisse ex eodem Plutarcho cognoscitur. ex quo etiam constat, Drusum, Liviāe patrem, Catonis avum fuisse, ut appellatur a Cicerone lib. IV. de Finibus, his uerbis: Conferam avum tuum Drusum cum C. Graccho, eius fere aequali. quod in Catone Plutarchus, & Cicero in oratione pro Milone confirmant, Catonis avunculum Drusum appellantes, cum eius filium, qui senatus causam contra C. Gracchum tutatus est, sine dubio significet. Haec Paullus pater. *NAM & aui eius memoria moueor: (nec enim ignoras, quanti fecerim Scipionem; qui ut opinio mea fert, in principibus iam esset, si uiueret) & Lucullu: mihi uersatur ante oculos.* & Avum Luculli pueri Q. Caepionem fuisse, eum, qui bello Marfico interijt, iam significauimus: quem Cicerone seniore fuisse indicant non solum ea uerba, Quanti fecerim Scipionem, & ea, in principibus iam esset, hoc est, aliquot iam annis auctoritatem in ciuitate summam obtineret, sed multo magis illa, quae Cato respondet: Vterque tibi testamento liberos suos commendauit. Nominat igitur Cicero duos Caepiones, filium quidem priore loco, cum ait, Caepioni nostro, qui fuit avunculus pueri Luculli, & M. Brutum adpraui, unde Caepio Brutus lib. II. ad Att. & Q. Caepio Brutus Philippica. x. & in argenteis antiquis nominis nominatur: deinde eius patrem, cum subiungit, Et aui eius memoria moueor. Hic mihi scrupulus, obseruata Ciceronis aetate, sane difficilis iniecitur, nam, si Luculli pueri fuit avus Caepio, is, quem Italico bello, anno urbis DCLXII. uita excessisse dicimus, uix fieri posse uideo, ut eum Cicero significet, cum ait: Non enim ignoras, quanti fecerim Caepionem. nā annos urbis DCLXII. fuit annos Ciceronis aetatis XV II. ut adolescentulo Ciceroni, uix annos pubertatis ingresso, consuetudinem cum uiro Caepione nullam fuisse, credibile nō sit. Accedit illud, quo etiam magis moueor, quod, cum Cato, commendatos Ciceroni a moriente Caepione liberos eius, paullo post subiungit, repugnare uidetur Ciceronis aetas, annum agentis, ut diximus, XVII. cum Caepio uita excessisset: itaque interdum mihi uenit in mentem suspicari, ne hic Caepio, quem Cicero obseruauit, cuiusq. liberos ei commendatos esse a patre moriente Cato dicit, filius fuerit eius, qui perijt bello Marfico, pater autem eius, quem Cato nis fratrem Plutarchus appellat, & Serviliae, quae M. Brutum ex priore uiro, Bruto, Lucullum puerum ex posteriore, L. Lucullo, peperit, quod si ita est; sororem Drusi posterioris Liviā eius Caepionis filio nupsisse, credendum erit, qui cum fratre eius in equitum causa contenderat, ita quattuor deinceps, perpetuo cognationis ordine, Caepiones erunt, omnes Quincti praenomine: primus, qui consul cum Cimbris male remp. gessit; alter, qui Scauro diem dixit, & bello sociali, uel, ut alij appellant, Italico, aut Marfico, perijt; tertius, qui, quod equidem, scia nusquā nominatur; cur tamen eum fuisse credi possit, causas ostendi: quartus, M. Catonis Vticensis frater, qui filiam, ut a Plutarcho scriptum animaduerti, moriens reliquit, adoptato, ut diximus sororis suae Serviliae filio M. Bruto. Haec Paullus pater.

CICERO

DICENTVR ista, Cato, magnifice, inquam: sed uides ne uerborum gloria tibi cum Pyrrhone, & Aristone, qui omnia exaequent, esse communem? de quibus, cupio scire, quid sentias. Ego ne, quaeris, inquit, scire quid sentiam? quos bonos uiros, fortes, inflos, moderatos aut audiui in rep. fuisse, aut ipsi uidi-

mus, qui sine ulla doctrina, naturā ipsam secuti, multa laudabilia fecerūt; eos melius a natura institutos fuisse, quam institui possent a philosophia si ullam aliam probauissent, praeter eam, quae nihil aliud in bonis habet, nisi honestum, nihil, nisi turpe, in malis. ceterae philosophorum disciplinae, omnino alia magis, alia minus, sed

L tamen

tamen omnes, quae rem ullam uirtutis expertem aut in bonis, aut in malis numerent, eas nō modo nihil adiuuare arbitror, neque asserere, quo meliores simus, sed ipsam deprauare naturam. nam, si hoc non obtineatur, id solum bonum esse, quod honestum sit: nullo modo probari possis, beatam uitam uirtute effici. quod si ita sit: cur opera philosophiae sit danda, nescio si enim sapiens aliquis miser esse possit: nae ego istam gloriosam, memorabilemque uirtutem non magno aestimandam putem. Quae adhuc, Cato, a te dicta sunt, eadem, inquam, dicere posses, si sequerere Pyrrhonem, aut Aristonem. nec enim ignoras, his istud honestum, non summum modo, sed etiam, ut tu uis, solum bonum uideri. quod si ita est: sequitur id ipsum, quod te uelle uideo, omnes semper beatos esse sapientes. hos ne igitur laudas, & hanc eorū sententiam sequi nos censeres oportere? Minime uero istorum quidem, inquit. cum enim uirtutis hoc proprium sit, earum rerum, quae secundum naturam sint, habere delectum: qui omnia sic exaequauerunt, ut in utraque parte ita paria redderent, uti nulla se lectione uteren-

tur eius, uirtutem ipsam sustulerunt. Istud quidem, inquam, optime dicis: sed quaero, num ne tibi faciendum idem sit, nihil dicenti bonum, quod non relictum, honestumque sit, reliquarum rerum discrimen omne tollenti? Si quidem, inquit, tollerem; sed relinquo. Quonam modo, inquam? si una uirtus, unum istud, quod honestum appellas, relictum, laudabile, decorum, (erit enim notius, quale sit, pluribus notatum uocabulis idem declarantibus) id ergo, inquam, si solum est bonum: quid habebis praeterea, quod sequere? aut, si nihil malum, nisi quod turpe, inhonestum, indecorum, prauium, flagitiosum, foedum: (ut hoc quoque pluribus nominibus insigne faciamus) quid praeterea dices esse fugiendum? Non ignorati, inquit, tibi, quid sim dicturus, sed aliquid, ut ego suspicor, ex mea breui responsione arripere cupienti, non respondebo ad singula: explicabo potius, quoniam otiosi sumus, nisi alienum putas, totam Zenonis, Stoicorumque sententiam. Minime id quidem, inquam, alienum: multumquid ea, quae quaerimus, explicatio tua ista profecerit.

C I C E R O

EXPERTIAMVR igitur, inquit. & si habet haec Stoicorum ratio difficilium quiddam, & obscurius. nam cum in Graeco sermone haec ipsa quondam rerum nomina nouarum non uidebantur, quae nunc consuetudo diuturna trinit: quid censeres in Latino fore? Facillimum id quidem est, inquam. si enim Zenoni licuit, cū rem aliquam inuenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere: cur non liceat Catoni? nec tamē exprimi uerbum e uerbo necesse erit, ut interpretes in diserti solent: cum sit uerbum, quod idem declaret, magis, minus ue. usitatum. equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possim, idem pluribus uerbis exponere. & tamen puto concedi nobis oportere, ut Graeco uerbo utamur, si quādo minus occurreret Latini; ne hoc ephippijs, & acratophoris potius, quam proegmenis, & apoproegmenis, concedatur, quamquam haec quidem praeposita recte, & reiecta dicere licebit. Bene facis, inquit, quod me adiuuas: & istis quidem, quae modo dixisti, utar potius Latinis: in ceteris subuenies, si me haerentem uidebis. Sedulo, inquam, faciam: sed fortuna fortes. quare conare, quaeso, quid enim hoc possumus agere diuinius? Placet ijs, inquit, quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal, (hinc enim est ordiendum) ipsum sibi conciliari, & commendari ad se conseruandum, & ad suum statum, & ad ea, quae con-

seruantia sunt eius status, diligenda; alienari autem ab interitu, ijsque rebus, quae interitum uideantur, asserere. id ita esse sic probant; quod, ante quam uoluptas, aut dolor attigerit, salutaria appetant parui, aspernenturque contraria. quod non fieret, nisi statum ipsum diligerent, interitum timerent. fieri autem non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se, & sua diligerent. ex quo intelligi debet, principium ductum esse a se diligendi. In principijs autem naturalibus diligendi sui plerique Stoici non putant uoluptatem esse ponendam, quibus ego uehementer assentior: ne, si uoluptatem natura profuisse in ijs rebus uideatur, quae primae appetuntur, multa turpia sequantur. Satis esse autem argumenti uidetur, quamobrem illa, quae natura prima sunt adscita, natura diligamus; quod est nemo, quin, cum utrum uis liceat, aptas malis, & integras omnes partes corporis, quam eodem usu imminutas, & detortas habere. Cognitiones autem, (uel, si haec uerba minus placēt, aut minus intelliguntur, κατὰ λόγον appellemus licet) eas igitur ipsas propter se adsciscendas arbitramur, quod habeant quiddam in se quasi complexum, & continentem ueritatem. id autem in paruis intelligi potest: quos delectari uideamus, etiam si eorum nihil intersit, si quid ratione per se ipsi inuenerunt.

E X P L A N A T I O

NOVARVM non uidebantur, & Alij, Nouarum nouabantur, sensu mihi non admodum probato. non enim respondet ad illud, quod dixit, Difficilium, & obscurius. potius legendum crederem, Nouarum noua uiderentur: ut, Noua, accipiatur, quasi duriora, & nimis obscura: quod accidere solet, cum nominibus utimur inauditis. Haec Paullus pater. EPHIPPIJS, & Ephippium est instrumentum, quo in equis sedemus. ACRA TOPHORIS & id est, urceolis. Κατὰ λόγον & comprehensiones.

C I C E R O

ARTEs etiam ipsas propter se assumendas putamus, tum quia sit in his aliquid dignum as-

sumptione, tum quod consent ex cognitionibus, & contineant quiddam in se ratione constitutum, & uia a falsa autem

antem assensione magis nos alienatos esse, quam a ceteris rebus, quae sunt contra naturam, arbitrantur. Iam membrorum, id est partium corporis, alia uidentur propter eorum usum a natura esse donata, crura, pedes, & ea, quae sunt intus in corpore; quorum utilitas quanta sit, a medicis etiam disputatur: alia autem nullam ob utilitatem, quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae uersicoloris columbis, uiris marmarum, atque barba. Haec dicuntur fortasse ieiunius: sunt enim quasi prima elementa naturae: quibus ubertas orationis adhiberi uix potest, nec equidem eam cogito consecrari. uerum tamen, cum de rebus grandioribus dicas, ipsae res uerba rapiunt. ita fit cum grauior, tum etiam splendidior oratio. Est ut dicitur, inquam: sed tamen omne, quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici uidetur. istius modi autem res dicere ornate uelle, puerile est: plane autem, & perspicue expedire posse, docti, & intelligentis uiri. Progrediamur igitur, quoniam inquit, ab his principijs naturae discessimus: quibus congruere debent, quae sequuntur. sequitur autem prima diuisio haec. Aestimabile esse dicitur (sic enim, ut opinor, appellamus *) id, quod aut ipsum secundum naturam sit, aut tale quid efficiat, ut selectione dignum propterea sit, quod aliquod pondus habeat dignum aestimatione: quam ille *ἀξία* uocat: contraque inaeestimabile, quod sit superiori contrarium. Initijs igitur ita constitutis, ut ea, quae secundum naturam sunt, ipsa propter se sumenda sint, contrariaque item reuicenda; primum est officium, (id enim appello *καθήκον*) ut se conseruet in naturae statu; dein

ceps, ut ea teneat, quae secundum naturam sunt, pellatque contraria: quae inuenta selectione, & item reiectione sequuntur: deinceps cum officio selectione, deinde ea perpetua, tum ad extremum constans, consentaneaque naturae: in qua primum inesse incipit, & intelligi, quid sit, quod uere bonum possit dici. prima est enim conciliatio hominis ad ea, quae sunt secundum naturam. Simul autem cepit intelligentiam, uel notionem potius, quam appellant *εὐνοία* illi; uidetur rerum agendarum ordinem, & ut ita dicam, concordiam: multo eam pluris aestimauit, quam omnia illa, quae primum dilexerat: atque ita cognitione, & ratione collegit, ut statueret in ea collocatum summum illud hominis per se laudandum, & expetendum bonum: quod cum positum sit in eo, quod *ὁμολογία* Stoici, nos appellemus conuenientiam, si placet; cum igitur in eo sit id bonum, quo referenda sunt omnia: honeste facta, ipsumque honestum, quod in bonis ducitur, quamquam post oritur, tamen id solum uisum, & dignitate expetendum est: eorum autem, quae sunt prima natura, propter se nihil est expetendum. cum uero illa, quae officia esse dixi, profiscantur ab initijs naturae: ad ea haec referri necesse est: ut recte dici possit, omnia officia eo referri, ut adipiscamur principia naturae, nec tamen ut hoc sit bonorum ultimum: propterea quod non inest in primis naturae conciliationibus honesta actio: consequens enim est, & post oritur, ut dixi: est tamen ea secundum naturam, multoque nos ad se expetendam magis hortatur, quam superiora omnia.

EXPLANATIO

APPELLAMUS * 3 uerbum Graecum desideratur, fortasse *ἀξιότρον*. nam *ἀξία* aestimatio, ut ipse proxime subiungit. Haec Paullus pater. *καθήκον* 3 decens, conueniens. **Q**UAE inuenta selectione, &c. 3 Hoc totum ita restituo, adiutus a uetere libro: Qua inuenta selectione, & item reiectione sequitur deinceps cum officio selectione. Haec Paullus pater. **Q**UOD positum sit in eo, 3 Antiqui libri, Quod compositum sit in eo, absurde proflus, nisi facias quod saepe faciendum est, ut antiquos libros coniectura adiuues. sic igitur puto elegantius, & rectius: Quod cum positum sit in eo, quod *ὁμολογία* Stoici, nos appellemus conuenientiam, si placet; cum igitur in eo sit id bonum, quo referenda sunt omnia: honeste facta, &c. Atque etiam in membro praecedenti melius, opinor, Statueret in ea, quam, Statueret in eo. Haec Paullus pater. **Q**UAE sunt prima natura, 3 Et habet uetus liber, Naturae: & ita loquitur Cicero saepe. Haec Paullus pater.

CICERO

SED ex hoc primum error tollendus est, ne quis se qui existimet, ut duo sint ultima bonorum, ut enim, si cui sit propositum collineare hastam aliquo, aut sagittam, sicut nos ultimum in bonis diximus: sic illi facere omnia, quae possit, ut collineet: huic in eius similitudine omnia sint facienda, ut collineet: tum, ut omnia faciat, quo propositum assequatur. sed hoc quasi ultimum, quale nos summum in uita bonem dicimus: illud autem, ut feriat, quasi seligendum, non expetendum. Cum autem omnia officia a principijs naturae profiscantur; ab ipsidem necesse est profiscisci ipsam sapientiam. sed, quemadmodum saepe fit, ut is, qui commendatus sit alicui, pluris eum faciat, cui commendatus sit, quam illum, a quo fit: minime mirum est, primo nos sapientiae commendari ab initijs naturae, post autem ipsam sapientiam nobis cariorem fieri, quam illa sint, a

quibus ad hanc uenerimus. Atque, ut membra nobis ita data sunt, ut ad quendam rationem uiuendi data esse appareant: sic appetitio animi, quae apud Graecos uocatur, non ad quoduis genus uitae, sed ad quendam formam uiuendi uidetur data: itemque ratio, & perfecta ratio. ut enim histrioni actio, saltatori motus, non quiuis, sed certus quidam est datus: sic uita agenda est certo genere quodam, non quolibet: quod genus conueniens, consentaneumque dicimus, nec enim gubernationi, aut medicinae similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, & saltationi; ut in ipsa arte inest, non foris petatur extremum, id est artis effectio. Et tamen est etiam alia cum his ipsis artibus sapientiae dissimilitudo: propterea quod in illis, quae recte facta sunt, non continent tamen omnes partes, ex quibus constant: quae autem nos aut recta, aut recte

facta dicamus, si placet; illi autem appellant *κατορθω-
ματα*; omnes numeros uirtutis continent. sola enim sa-
pientia in se tota conuersa est, quod idem in ceteris arti-
bus non fit. Inscite autem medicinae, & gubernationis
ultimum cum ultimo sapientiae comparatur. sapien-
tia enim & animi in a nitudinem complectitur, & iu-

stitiam, & ut omnia, quae homini accidunt, infra se ef-
se iudicet, quod idem in ceteris artibus non contingit.
Tenere autem uirtutes eas ipsas, quarum modo men-
tionem feci, nemo poterit, nisi statuerit nihil esse, quod
inter sit, aut differat aliud ab alio, praeter honesta, &
turpia.

EXPLANATIO

VT enim, si cui, &c. 3 Apparet, quid significet: sed ita non solum corrupta, uerum etiam, ut ego
sentio, confusa, & praepostere collocata sunt uerba, ut emendari locus, & distingui a nobis sine ar-
rogantiae nota non possit. Collineare autem dicitur is, qui cum locum fecit, ad quē oculi directo, quasi
linea ducta, feruntur: ut collineare sit, simul cū oculis locū ueluti per lineam ferire. Haec Paullus pater.

CICERO

VIDEAMVS nunc, quam sint praeclare illa ijs, quae
iam posui, consequentia. Cum enim hoc sit extre-
mum, (sentis enim credo me iam diu, quod *τέλος* Grae-
ci dicunt, id dicere tum extremum, tum ultimum, tum
summum: licebit etiam finem pro extremo, aut ultimo
dicere) cum ergo sit extremum, congruenter naturae,
conuenienterq. uiuere; necessario sequitur, omnes sa-
pientes semper feliciter, absolute, fortunate uiuere, nul-
la re impediri, nulla prohiberi, nulla egere. Quod au-
tem continet non magis eam disciplinam, de qua lo-
quor, quam uitam, fortunamq. nostras, id est ut, quod
honestum sit, id solum bonum iudicemus: potest id qui-
dem fuisse, & copiose, & omnibus electissimis uerbis,
grauissimisque sententijs rhetorice & augeri, & orna-
ri: sed consuetudine Stoicorum breuia, & acuta de-
lectant. concluduntur igitur eorū argumēta sic, quod
est bonum, omne laudabile est: quod autem laudabile
est, honestum est. Satis ne hoc conclusum uideatur?
certe, quod enim efficiebatur ex his duobus, quae erāt
sumpta in eo, uides esse conclusum, duorum autem, e
quibus effecta conclusio est, contra superius dici solet,
non omne bonum esse laudabile. nam, quod honestum
sit, laudabile esse conceditur: illud autem perabsur-
dum, bonum esse aliquid, quod non expetendum sit, aut

expetendum, quod non placens; aut, si id, non etiam di-
ligendum; ergo & probandum; ita etiam laudabile: id
autem honestum. ita fit, ut, quod bonum sit, id etiam
honestum sit. Deinde quaero, quis aut de misera uita
possit gloriari, aut non de beata? de sola igitur beata,
ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse
beatam uitam. quod non possit quidem, nisi honestae ui-
tae, iure contingere. ita fit, ut honesta uita, beata uita
sit. Et quoniam is, cui contingit ut iure laudetur, habet
insigne quiddam ad decus, & ad gloriam, ut ob ea, quae
tanta sint, beatus dici iure possit: idem de uita talis ui-
ri rectissime dicitur. ita, si beata uita honestate cerni-
tur, quod honestum est, id bonum solum habendum est.
Quod uero negari nullo modo possit, quem umquam
stabili, & firmo, & magno animo, quem fortem uirum
dicimus effici posse, nisi constitutum sit, non esse malum
dolorem? ut enim, qui mortem in malis ponit, non
potest eam non timere: sic nemo ulla in re potest id,
quod malum esse decernit, non curare, idq. contemne-
re. quo posito, & omnium assensu approbato, illud af-
sumitur, eum, qui magno sit animo, atque forti, omnia,
quae cadere in hominem possint, despicere, & pro nihilo
putare.

CICERO

QVAE cum ita sint, effectum est, nihil esse malum,
quod turpe non sit. Atque iste uir, altus, &
excellens, magno animo, uer e fortis, infra se
omnia humana ducens, is, inquam, quem efficere uolumus,
quem quaerimus certe, & confidere sibi debet, et
suae uitae, & actae, & consequenti, & bene de se iudi-
care, statuens nihil mali posse incidere sapienti, ex quo
intelligitur idem, illud solum bonum esse, quod honestum
sit, idq. esse beate uiuere, & honeste, id est cum uir-
tute uiuere. Nec uero ignoro uarias philosophorū fuisse
sententias, eorū dico, qui summum bonum, quod ulti-
mum appello, in animo ponerent, quas quamquā uirtu-
se quidā secuti sunt: tamen non modo his tribus, qui uir-
tutē a summo bono segregarunt, cum aut uoluptatem,
aut uacuitatē doloris, aut prima naturae in summis bo-
nis ponerent; sed et alteris tribus, qui mancā fore puta-
uerunt sine aliqua accessione uirtutē, ob eamq. rē triū

earum rerum, quas supra dixi, singulas singulis addi-
derūt; his tamen omnibus eos antepono, cuiusmodi sum,
qui summum bonum in animo, atque in uirtute posue-
runt. Sed sunt tamen perabsurdi & ij, qui, cum scientia
uiuere, ultimum bonorum, & qui nullam rerum diffe-
rentiam esse dixerunt, atque ita sapientem beatum fore,
nihil aliud alij momento ullo anteponentem: ut qui-
dam Academici constituisse dicuntur, extremū bono-
rū, & summum munus esse sapientis, obistere uisus, af-
fensusq. suos firme sustinere. His singulis copiose respō-
deri solet: sed, quae perspicua sunt, longa esse non debēt.
quid aut aperius, quā, si selectio nulla sit ab ijs rebus,
quae contra naturam sint, earum rerum, quae sint sech-
dum naturam, tollatur omnis ea, quae quaeratur, lau-
deturq. prudentiae? Cicero scriptis igitur ijs sententijs,
quas posui, & ijs, quae similes earum sunt, relinqu-
tur, ut summum bonum sit, uiuere scientiam adhiben-
tem

tem earum rerum, quae natura eueniant, feligentem, sunt, reijcientem, id est conuenienter, congruenterq. quae secundum naturam; & si quae contra naturam naturae uiuere.

EXPLANATIO

ID esse beate uiuere, & honeste, id est cum uirtute uiuere. Particula, Et, uidetur abudare: suadenteq. sententia, reijcio: nec tamē ueterem a me librum Latinij dissentire uideo. TOLLATUR omnis ea, & nihil obscuritatis in sententia: in elocutione fortasse aliquid desiderarem, hoc enim, Quid apertius, quā tollatur omnis prudentia: recedere uidetur ab usu Latinae linguae. usitatum autem erat, Quid apertius, quam tolli omnem prudentiam? consului ueteres libros, nihil adiuuenti, habet unus, Tollatur demum omnis ea: quod mihi scrupulum non eximit, licet ad orationis elegantiam non nihil afferat. alter: Ab ijsq. rebus, quod minime probo: cum hic plane sit uerborum ordo: selectio earum rerum, quae sint secundum naturam, ab ijs rebus, quae contra naturam. Haec Paullus patet.

CICERO

SED in ceteris artibus, cum dicitur artificiose, posterum quodam modo, & consequens putandum est: quod illi ἐπιτηδεύματα appellant. quod autem in sapientia dicimus, id apprime rectissime dicitur. quidquid enim a sapiente proficitur, id continuo debet expletum esse omnibus suis partibus. in eo enim positum est id, quod dicimus esse expetendum. nam ut peccatum est, patriam prodere, parentes uiolare, sana depeculari, quae sunt in effectu, sic, timere, sic, maerere, sic, in libidine esse, peccatum est, etiam sine effectu, uerum, ut haec non in posteris, & in consequentibus, sed in primis continuo peccata sunt: sic ea, quae proficiuntur a uirtute, susceptione prima, non perfectione, recta sunt indicanda. Bonum autem, quod in hoc sermone toties usurpatum est, id etiam definitione explicetur. sed eorum definitiones paullum opido inter se differunt, & tamen eodem spectant. ego assentior Diogeni, qui bonum definiat, id, quod esset natura absolutum. id autem sequens, illud quod prodesset, & ἐφελκυσμα enim sic appel-

lemus) motum, aut statum esse dixit, a natura absoluta. Cumq. rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut coniunctione, aut similitudine, aut collatione rationis: hoc quarto, quod extremum posui, bonorum notitia facta est. cum enim ab ijs rebus, quae sunt secundum naturam, ascendit animus collatione rationis; tum ad notionem boni peruenit. hoc autem ipsum bonum non accessione, neque crescendo, aut cum ceteris comparando, sed propria ui sua & sentimus, & appellamus bonum. ut enim mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum alijs, dulce esse sentitur: sic bonum hoc, de quo agimus, est illud quidem plurimi aestimandum, sed ea aestimatio genere ualeat, non magnitudine. nam cum aestimatio, quae a Graecis dicitur, neque in bonis numerata sit, nec rursus in malis; quantumcunque eo addideris, in suo genere manebit. alia est igitur propria aestimatio uirtutis: quae genere, non crescendo, ualeat.

EXPLANATIO

CVM rerum notiones in animis fiant, si aut usu aliquid cognitum sit, aut similitudine, aut coniunctione, aut collatione rationis: &c. Singulos modos, quibus de re aliqua, notitiam assequi possumus, in quatuor redigebant Stoici, quos modos nūcupauit Auerrois uias docēdi. Ad usum redigitur inductio, quoniam usus est in singularibus, ex quorum notitia excitamur ad notitiam uouersalium. ad eundem usum reducitur etiam cognitio principiorum, de qua loquitur Ar. I. de motib. cap. 7. in quiens, principia quaedam cognosci assuetudine. Sic etiam rustici usu cognoscunt genus pecudum, & plantas, & nauta stellas. Ad similitudinem reducitur exemplum, & omnes illae ostensiones, quae a simili nuncupantur. Ad coniunctionem reducitur tertium genus demonstrationis, nam coniunctio duplex est, uel essentialis, qualis est causae, & effectus, qua coniunctione innitur tertium genus demonstrationis; uel coniunctio est accidentalis, & ita conficiuntur ratiocinationes a signo, quae solubiles nūcupantur, de quibus etiam loquitur Ar. I. Rhet. Collatio rationis ea est, quam Arist. nuncupat cognitionem per analogiam, quae analogia paritas rationis est, ut materia, & Deus cognosci dicuntur. Sic collatione rationis bonorum notitia facta est, inquit Cic. quoniam hac analogia utimur. Et considerandum, quod notio, quae his quattuor modis fit, ea est, quae dianoetica nūcupatur ab Ar. quando ex unius notitia ad aliud deducimur. & ita singuli modi ad hos quattuor rediguntur. Haec reductio ad hos quattuor modos & Peripatetico, & Platónico est consentanea, quamuis ambo uarijs utantur loquendi modis. & ideo haec reductio neque ex Arist. neque ex Platone desumpta est, sed ea utebantur Stoici, sed est consona, etiam fundamentis Arist. & Platonis. Et, si quis quaerat de definitione, ad quod redigatur, dicendum, quod, si definitio consideratur ut per partes eius notas, ducimur in notitiam definiti, ut ait Arist. I. Met. 48. sic redigitur hic notitiam modus ad coniunctionem: si uero uiam consideramus, qua in definitionis notitia, & inuentionem ducimur, sic ad alios modos reducitur.

CICERO

CICERO

Nec uero perturbationes animorum, quae uitam insipientium miseram, acerbamq. reddit, quas Graeci *πάθος* appellant: (poteram ego, uerbum ipsum interpretans, morbos appellare; sed non conueniret ad omnia: quis enim misericordiam, aut ipsam iracundiam, morbum solet dicere et illi dicunt *πάθος*: sit igitur perturbatio, quae nomine ipso uitiosa, declarari uidetur.) nec hae perturbationes uel aliqua naturali mouentur: omnesq. hae sunt genere quatuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, quamq. Stoici, communi nomine corporis, & animi, *πάθος* appellant; ego malo laetitia appellare, quasi gessientis animi elationem uoluptariam, perturbationes autem nulla naturae uel commouentur: omniaq. ea sunt opinionones, ac iudicia lenitatis. itaque his sapiens semper uacabit. Omne autem, quod honestum sit, id esse propter se expetendum, commune nobis est cum multorum aliorum philosophorum sententijs. praeter enim tres disciplinas, quae uirtutem a summo bono excludunt, ceteris omnibus philosophis haec est tuenda sententia, maxime tamen his Stoicis: qui nihil aliud in bonorum numero, nisi honestum, esse uoluerunt. sed haec quidem est perfacilis, & perexpedita defensio. quis est enim, aut quis umquam fuit aut avaritia tam ardentis, aut tam effrenatis cupiditatibus, ut eandem illam rem, quam adipisci scelere quouis uelit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni

impunitate proposita, sine facinore, quam illo modo, peruenire? quam uero utilitatem, aut quem fructum petentes, scire cupimus, illa, quae occulta nobis sunt, quomoueantur, quibusq. de causis ea uersentur in caelo? quis autem tam agrestibus institutis uiuit, aut quis contra studia naturae tam uehementer obduruit, ut a rebus cognitione dignis abhorreat, easq. sine uoluptate, aut utilitate aliqua non requirat, & pro nihilo putet? aut quis est, qui, maiorum, aut Africanorum, aut eius, quem tu in ore semper habes, proaui mei, ceterorumq. uirorum fortium, atque omni uirtute praestantium uelata, dicta, consilia cognoscens, nulla animo afficiatur uoluptate? quis autem, honesta in familia institutus, & educatus ingenue, non ipsa turpitudine, etiam si eum laesura non sit, offenditur? quis animo aequo uidet eum, quem impure, ac flagitiose putet uiuere? quis non odit sordidos, uanos, leues, futiles? quid autem dici poterat, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statueremus, quo minus homines, tenebras, & solitudinem naeti, nullo dedecore se abstineant, nisi eos per se foeditate sua turpitudine ipsa deterreat? Innumerabilia dici possunt in hanc sententiam: sed non necesse est. nihil est enim, de quo minus dubitari possit, quam & honesta expetenda per se, & eodem modo turpia per se fugienda.

EXPLANATIO

CETERIS omnibus philosophis haec est tuenda sententia, maxime tamen his Stoicis, qui nihil aliud in bonorum numero, nisi honestum, esse uoluerunt. Numquam placuit, His Stoicis, & suspicatus aliquando sum, Stoicis, non esse Ciceronis, sed additum, ut exponeretur illud His. nunc me Philippi Tertij, cuius inter omnes nostrae urbis oratores instructa Graecis, ac Latinis litteris eminet eloquentia, liber antiquus in eam coniecturam ducit, ut, Stoicis, retinendum, His amouendum putem. mendi enim suspicione uarietas affert: & est in eo libro, pro, His, In. de quo tamen sine hominum eruditorum sententia nihil statuo. probari autem ea, quae scribimus, ab ijs, quorum animus nulla inuidiae, nulla maleuolentiae labe suffusus, libere, simpliciterq. iudicat, ita gaudeo, ut ab iisdem tamen improbari facile patiar. Haec Paullus pater. PROAUI mei, Ne quis ideo iubesse mendii suspicetur, quia Cato Censorius, quem Cicero significat, multo antiquior fuerit, quam proauus. nam est hoc familiare Ciceroni, ut proauos appellet ab eius aetate longissime remotos, ut in epistola ad Appium: Si censor es, de proauo multum cogitator tu: cum de Appio Caeco, qui Pyrrhi pacem dissuasit, eum loqui conster. Haec Paullus pater. Quid autem dici poterat, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statueremus? Eemendo. ex antiquo libro Bernardini Maffei, Quid autem dici poterit, si turpitudinem non ipsam per se fugiendam esse statuerimus. in quo uis est, & energia maior, quam si, Poterat, & Statueremus, legatur. Haec Paullus pater.

CICERO

CONSTITUTO autem illo, de quo ante diximus, quod honestum sit, id esse solum bonum; intelligi necesse est, pluris id, quod honestum sit, aestimandum esse, quam illa media, quae ex eo comparentur. stultitiam autem, & temeritatem, & iniustitiam, & intemperantiam cum dicimus esse fugienda propter eas res, quae ex ipsis eueniant; non ita dicimus, ut cum illo, quod positum est, solum id esse malum, quod turpe sit,

haec pugnare uideatur oratio: propterea quod ea non ad corporis incommodum referuntur, sed ad turpes actiones, quae oriuntur e uitijs. quas enim Graeci *κακείας* appellant, uitia malo, quam malitias, nominare. Haec tu, inquam, Cato, uerbis illustribus, & id, quod uis, declarantibus. itaque mihi uideris Latine docere philosophiam, & ei quasi ciuitatem dare, quae quidem adhuc peregrinari Romae uidebatur, nec offerre sese nostris

nostris sermonibus: & ista maxime propter limatam quandam & rerum, & uerborum tenuitatem. scio enim esse quosdam, qui quamuis lingua philosophari possint, nullis enim partitionibus, nullis definitionibus utuntur ipsi, qui dicunt ea se modo probare, quibus natura tacita assentiatur. itaque in rebus minime obsecris non multus est apud eos disserendi labor. quare attendo te studiose, & quaecumque rebus istis, de quibus hic sermo est, nomina imponis, memoriae mando.

mibi enim erit ipsidem istis fortasse iam utendum. Virtutibus igitur rectissime mihi uideris, & ad consuetudinem nostrae orationis, uitia posuisse contraria. quod enim uituperabile est per se ipsum, id eo ipso uitium nominatum puto, uel etiam a uitio dictum uituperari. *κακίας* malitiam dixisses; ad aliud nos unum certum uitium consuetudo Latina traduceret: nunc omni uirtuti uitium, contrario nomine, opponitur.

EXPLANATIO

IPSI, qui dicunt & Neque hoc placet, neque, quod placeat inuenio. Liber Tertij, Ipsi qui de, ego, Ipsi, potius, quam, Dicunt, uitio sum puto. Haec Paullus pater. **CERTVM** uitium & certum enim uitium est malitia, id est astutia quaedam ad fallendum apta, uel etiam ad fraudem uitandam. **NUNC** omni uirtute & Nunc, repofui ex uetere libro: cuius locum occupauerat Hoc, nemo est autem, paullo quidem Romanae linguae peritior, qui Nunc, pro Sed, usurpatū saepissime, tum a Cicerone, tum ab alijs, ignoret, si exempla aliquis petat, longe ne abeat, legat librum de Fin. I. & prooemium Tufculanae III. Haec Paullus pater.

CICERO

TVM ille, his igitur ita positus, inquit, sequitur magna contentio: quae pertractata est a Peripateticis mollius. est enim eorum consuetudo dicendi non satis acuta, propter ignorantiam dialecticae. Carneades tuus, egregia quadam exercitatione in dialecticis, summaque eloquentia, rem in summum discrimen ad duxit: propterea quod pugnare non desistit, in omni hac quaestione, quae de bonis, & malis appelletur, non esse rerum Stoicis cum Peripateticis controuersiam, sed nominum. Mibi autem nihil tam perspicuum uideatur, quam has sententias eorum philosophorum re inter se magis, quam uerbis, dissidere, maiorem multo habere Stoicos, & Peripateticos rerum omnino discrepantiam, quam uerborum; quippe cum Peripatetici omnia, quae ipsi bona appellant, pertinere dicant ad beatam uiuendum; nostri uero, quod aestimatione omnino aliqua dignum sit, complecti beatam uitam putent. An uero certius quidquam potest esse, quam illa ratio eorum, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, cum equuleo torqueatur? eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, uti in omnibus tormentis conferretur beata uita sapienti. etenim, si dolores eosdem tolerabilius patiantur, qui excipiunt eos pro patria, quam qui leuiore de causa:

opinio facit, non natura, uim doloris aut maiorem, aut minorem. Ne illud quidem est consentaneum, ut, si, cum tria genera bonorum sint, quae sententia est Peripateticorum, eo beator quisque sit, quo sit corporis, aut externis bonis plenior; ut hoc idem approbandum sit nobis, ut, qui plura habeat, quae in corpore magni aestimantur, sit beator illi enim corporis commodis compleri uitam beatam putant: nostri nihil minus. nam, cum ita placeat, ne eorum quidem bonorum, quae nos bona naturae appellemus, frequentia beatiorem uitam fieri, aut magis expetendam, aut plura aestimandam: certe minus ad beatam uitam pertinet multitudo corporis commodorum. etenim, si & sapere, expetendum sit, & ualere: conuenit utrumque magis expetendum sit, quam sapere solum. neque tamen, si utrumque sit aestimatione dignum, plura sit coniunctum, quam sapere ipsum separatum. nam, qui ualitudinem aestimatione aliqua dignam indicamus, neque tamen eam in bonis ponimus; ydem censemus, nullam esse tantam aestimationem, ut ea uirtuti anteponatur. quod idem Peripatetici non tenent: quibus dicendum est, quae & honesta actio sit, & sine dolore, eam magis esse expetendam, quam si esset eadem actio cum dolore. nobis aliter uidetur: recte, secus ne, postea.

CICERO

SED potest ne rerum maior esse dissensio? ut enim obscuratur, & offunditur luce solis lumen lucernae; & ut interit magnitudine maris Aegaei stilla murrinae; & ut in diuitijs Croesi teruncij accessio, & gradus unus in ea uia, quae est hinc in Indiam: sic, cum sit is bonorum finis, quem Stoici dicunt, omnis ista rerum in corpore sitarum aestimatio splendore uirtutis, & magnitudine obscuratur, & obruat, atque intereat, necesse est, & quemadmodum oportunitas (sic enim apellamus & *καύπια*) non fit maior productione temporis: (habent enim suum modum, quacumque opportuna

dicuntur) sic recta effectio (*κατόρθωσις* enim ita appellatur; quoniam rectum factum *καλόφραμα*) recta igitur effectio, item conuenientia, denique ipsum bonum, quod in eo positum est, ut naturae consentiat, crescendi accessionem nullam habet. ut enim opportunitas illa, sic haec, de quibus dixi, non sunt temporis productione maiora: ob eamque causam Stoicis non uidetur optabilior, nec magis expetenda beata uita, si sit longa, quam si breuis: ut uturque simili. ut, si cothurni laus illa esset, ad pedem apte conuenire; neque multi cothurni paucis anteponerentur, nec maiores minoribus: sic, quorum omne bonum

bonum conuenientia, atque opportunitate finitur, nec plura paucioribus, nec longinquiora brevioribus anteponentur. Nec uero satis acute dicunt: si bona ualetudo pluris aestimanda sit longa, quam breuis; sapientiae quoque usu longissimus quisque sit plurimi non intelligunt ualetudinis aestimationem spatio iudicari; uirtutis, opportunitate, ut uideantur, qui illud dicant, iisdem hoc esse dicturi, bonam mortem, & bonum partum meliorem longum esse, quam breuem, non uident alia breuitate pluris aestimari, alia diurnitate. itaque consentaneum est his, quae dicta sunt, ratione illorum, qui illum bonorum finem, quod appellamus extremum, quod

ultimum, crescere putant posse, iisdem placere, esse alium alio etiam sapienterem, itemque alium magis alio uel peccare, uel recte facere, quod nobis non licet dicere: qui crescere bonorum finem non putamus, ut enim, qui demersi sunt in aqua, nihilo magis respirare possunt, si longe non absunt a summo, ut iam iamque possint emergere, quam si etiam tum essent in profundo; nec catulus ille, qui iam appropinquat ut uideat, plus cernit, quam is, qui modo est natus: item, qui processit aliquantum ad uirtutis aditum, nihilo minus in miseria est, quam ille, qui nihil processit.

EXPLANATIO

MARIS Aegaei & ab Hellesponto usque ad sinum Megaricum ducitur. STILLA & gutta scilicet, quae stillando cadit. MVRIAE & aquae salsae, piscibus, & saltamentis aptae. TERVNCII, & id est, trium unciarum: ex Varrone. RERVM in corpore sitarum & locutio probabilior, quam, si legas, ut antea, Rerum in corpore harum, quam correctionem Maffei liber antiquus probat. Haec Paullus pater.

CICERO

HAEC mirabilia uideri intelligo: sed, cum certe superiora firma, ac uera sint, his autem ea consentanea, & consequentia; ne de eorum qui dem ueritate est dubitandum. Sed quamquam negent, nec uirtutes, nec uitia crescere: attamen utrumque eorum fundi quodam modo, & quasi dilatar i putant. Diuitias autem Diogenes cenfet non eam modo uim habere, ut quasi duces sint ad uoluptatem, & ad ualetudinem bonam, sed etiam ut ea contineant: non idem facere eas in uirtute, neque in ceteris artibus, ad quas esse dux pecunia potest, continere autem non potest: itaque, si uoluptas, aut si bona ualetudo sit in bonis, diuitias quoque in bonis esse ponendas: at, si sapientiae bonum sit, non sequi, ut etiam diuitias bonum esse dicamus: nec ab ulla re, quae non sit in bonis, id, quod sit in bonis, contineri potest, ob eamque causam, quia cogitationes, comprehensionesque rerum, e quibus efficiuntur artes, appetitiones mouent; cum diuitiae non sint in bonis, nulla ars diuitijs contineri potest. quod si de artibus concedamus: uirtutis tamen non sit eadem ratio: propterea quod haec plurimae commutationis, & exercitationis indigeat, quod idem in artibus non fit; & quod uirtus stabilitatem, firmitatem, constantiam totius uitae complectatur; nec eadem haec in artibus esse uideamus. Deinceps explicatur differentia rerum: quam si non ullam esse diceremus, confunde-

retur omnis uita, ut ab Aristotele; nec ullum sapientiae munus, aut opus inueniretur; cum inter res eas, quae ad uitam degendam pertinerent, nihil omnino interesse, neque ullum delectum adhiberi oporteret. itaque, cum esset satis constitutum, id solum esse bonum, quod esset honestum, & id malum solum, quod turpe: tum inter haec, & illa, quae nihil ualere ad beate, misereque uiuendum, aliquid tamen, quo differrent, esse uoluerunt; ut essent eorum alia aestimabilia, alia contra, alia neutrum: quae autem aestimanda essent, eorum in alijs satis esse causae, quam obrem quibusdam anteponebantur, ut in ualetudine, ut in integritate sensuum, ut in doloris uacuitate, ut gloria, diuitiarum, similiarum rerum; alia autem non esse eiusmodi: itemque eorum, quae nulla aestimatione digna essent, partim satis habere causae, quam obrem reiecerentur, ut dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum; partim non: itemque hinc esse illud exortum, quod Zeno *ἀπορρητόν*, contraque quod *ἀπορρητόν* nominauit; cum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus, ac nouis: quod nobis in hac inopi lingua non conceditur. quamquam tu hanc copiosorem etiam dicere soles. sed non alienum est, quo facilius uis uerbi intelligatur, rationem huius uerbi faciendi Zenonis exponere.

CICERO

VT enim, inquit, nemo dicit, in regia regem ipsum quasi productum esse ad dignitatem, (id enim est *ἀπορρητόν*) sed eos, qui in aliquo honore sint, quorum ordo proxime accedit, ut secundus sit ad regium principatum: sic in uita non ea, quae primario loco sunt, sed ea, quae secundum locum obtinent, *ἀπορρητά*, id est producta, nominentur: quae uel ita appellemus, (id erit uerbum e uerbo) uel promoti, uel, ut dudum diximus, praeposita, uel praecipuas; & illa reiecta, re enim intellecta, in uerborum usu faciles esse debemus. quo-

niam autem omne, quod est bonum, primum locum tenere dicimus: necesse est, nec bonum esse, nec malum hoc, quod praepositum, uel praecipuum nominamus. itaque id definimus, quod sit indifferens, cum aestimatione mediocri. quod enim illi *ἀδιάφορον* dicunt, id mihi ita occurrit, ut indifferens dicerem. neque enim illud fieri poterat ullo modo, ut nihil relinqueretur in medijs, quod aut secundum naturam esset, aut contra, nec, cum id relinqueretur, nihil in his poni, quod satis aestimabile esset, nec, hoc posito, non aliqua essent praeposita.

posita. recte igitur haec facta distinctio est. Atque etiam ab ijs, quo facilius res percipi possit, hoc simile ponitur. ut enim, inquirunt, si hoc fingamus esse quasi finem, & ultimum, ita iacere talum, ut rectus assistat; qui ita talus erit iactus, ut cadat rectus, praepositum

quiddam habebit ad finem; qui aliter, contra; neque tamen illa praepositio tali ad eum, quem dixi, finem pertinebit: sic ea, quae sunt praeposita, referuntur illa quidem ad finem, sed ad eius vim, naturamq. nihil pertinent.

EXPLANATIO

Nec haec posita, non aliqua essent praeposita. Si corrigas, Nec, hoc posito, non aliqua esse proposita; erit elegantius: neque ab antiquis exemplaribus admodum discedes: siquidem & Maffei liber, Hoc posito, habet. Haec Paullus pater.

CICERO

Sequitur illa diuisio, ut bonorum alia sint ad illud ultimum pertinentia, (sic enim appello, quae ^{TELIXA} dicuntur: iam hoc ipsum instituiamus, ut placuit, pluribus uerbis dicere, quod uno non poterimus; ut res intelligatur) alia autem efficientia, quae Graeci ^{ΠΡΟΙΤΙΧΑ} alia utrumque de pertinentibus nihil est bonum, praeter actiones honestas: de efficientibus, nihil praeter amicum. sed & pertinentem, & efficientem sapientiam uolunt esse. nam, quia sapientia est conueniens actio; erit cum illo pertinenti genere, quod dixi. quod autem honestas actiones affert, & efficit, id efficiens dici potest. Haec, quae praeposita dicimus, partim sunt per se ipsa praeposita, partim quod aliquid efficiunt, partim utrumque: per se, ut quidam habitus oris, & uultus, ut status, ut motus; in quibus sunt & praeposita quaedam, & reiicienda: alia ob eam rem praeposita dicuntur, quod ex se aliquid efficiant, ut pecunia: alia autem ob utramque rem, ut integri sensus, ut bona ualuetudo. De bona autem fama quam appellat d' d' e' i' a' x, aptius est hoc loco bonam famam appellare, quam gloriam. Chrysippus quidem, & Diogenes, detracta utilitate, ne dignum quidem eius causam porrigendum esse dicebant. quibus ego uehementer assentior. qui autem post eos fuerunt, cum Carneadem

sustinere non possent, hanc, quam dixi, bonam famam ipsam propter se praepositam, & sumendam esse dixerunt; esseq. hominis ingenui, & liberaliter educati, uel bene audire a parentibus, a propinquis, a bonis etiam uiris, idq. propter rem ipsam, non propter usum: dicuntq., ut liberis consultum uelimus, setiam si postumi futuri sint, propter ipsos; sic futurae post mortem famae tamen esse propter rem, etiam detracto usu, consulendum. Sed, cum, quod honestum sit, id solum bonum esse dicamus: consentaneum tamen est, fungi officio; cum id officium nec in bonis ponamus, nec in malis. est enim aliquid in his rebus probabile, & quidem ita, ut eius ratio reddi possit. est autem officium, quod ita factum est, ut eius probabilis ratio reddi possit. ex quo intelligitur, officium medium quoddam esse, quod neque in bonis ponatur, neque in contrariis. quoniamq. in ijs rebus, quae neque in uirtutibus sunt, neque in uitijs, est tamen quiddam, quod usui possit esse: tollendum id non est. Est autem eius generis actio quoque quaedam, & quidem talis, ut ratio postulet agere aliquid, & facere eorum. quod autem ratione actum sit, id officium appellamus. est igitur officium eius generis, quod nec in bonis ponatur, nec in contrariis.

CICERO

Atoque perspicuum etiam illud est, in istis rebus medijs aliquid agere sapientem. iudicat igitur, cum agit, officium illud esse. quod, quoniam numquam fallitur in iudicando, erit in medijs rebus officium. quod efficitur etiam hac conclusione rationis. quoniam enim uidemus esse quiddam, quod recte factum appellemus; id autem est perfectum officium: erit autem etiam inchoatum, ut, si, iuste depositum reddere, in recte factis sit, in officijs ponatur depositum reddere: illo enim addito, iuste, facit recte factum: per se autem hoc ipsum, reddere, in officio ponitur. quoniamq. non dubium est, quin in ijs, quae media dicimus, sit aliud sumendum, aliud reiiciendum: quidquid ita sit, aut dicitur, commune officio continetur. ex quo intelligitur, quoniam se ipsos omnes natura diligunt; tam insipientem, quam sapientem sumpturum, quae secundum naturam sint, reiecturumq. contraria. ita est quoddam commune officium sapientis, & insipientis. ex quo efficitur, uersari in ijs,

quae media dicamus. sed, cum ab his omnia proficiantur officia; non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes, in his & excessum e uita, & in uita mansionem. in quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt; huius officium est in uita manere: in quo autem aut sunt plura contraria, aut fore uidentur; huius officium est e uita excedere. ex quo apparet, & sapientis esse aliquando officium, excedere e uita, cum beatus sit; & stulti, manere in uita, cum sit miser. nam bonum illud, & malum, quod saepe uiam ductum est, postea consequitur. prima autem illa naturae, siue secunda, siue contraria, sub iudicium sapientis, & delectum cadunt: estq. illa subiecta quasi materia sapientiae. itaque & manendi in uita, & migrandi ratio omnibus ijs rebus, quas supra dixi, metienda. nam neque ijs, qui uirtute retinentur in uita, neque ijs, qui sine uirtute sunt, mors est opponenda; ut saepe officium est sapientis desciscere a uita, cum sit beatissimus, si id opportune

M

facere

facere possit, quod est conuenienter naturae uiuere. sic enim censent, opportunitatis esse beate uiuere. itaque a sapientia praecipitur, se ipsam, si iusserit, sapiens ut relinquat. Quamobrem, cum uitiorum ista uis non sit, ut causam afferant mortis uoluntariae: perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium esse, manere in uita, si sint in maiore parte carum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. & quoniam excedens e uita, & manens, aequae miser est; nec diuturnitas magis ei uitam fugiendam facit: non sine causa dicitur, is, qui pluribus naturalibus frui possint, esse in

uita manendum. Pertinere autem ad rem arbitrantur, intelligi, natura fieri, ut liberi a parentibus amentur: a quo initio profectam communem humani generis societatem persequimur, quod primum intelligi debet si-gura, membrisq. corporum: quae ipsa declarant, procreandi a natura habitam esse rationem. neque uero haec inter se congruere possent, ut natura & procreari uellet, & diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis uis naturae perspicui potest: quarum in fetu, & educatione laborem cum cernimus, naturae ipsius uocem uidemur audire.

C I C E R O

QUARE, ut perspicuum est, natura nos a dolore ab horrere: sic apparet, a natura ipsa, ut eos, quos genuerimus, amemus, impelli. In hoc nascitur, ut etiam communis hominum inter homines naturalis sit commendatio, ut oporteat hominem ab homine ob id ipsum, quod homo sit, non alienum uideri. ut enim in membris alia sunt tamquam sibi nata, ut oculi, ut aures, alia et ceterorum membrorum usum adiuuant, ut crura, ut manus: sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt: at illa, quae in concha patula pinna dicitur, isque, qui enat e concha, qui, quod eam custodiat, pinnoteres uocatur, in eamq. cum se recepit, includitur; ut uideatur monuisse, ut caueret, itemq. forniciae, apes, ciconiae aliorum etiam causa quaedam faciunt. multo magis haec coniunctio est hominis: itaque natura sumus apti ad coetus, concilia, ciuitates. Mundum autem censent regi numine deorum, eumq. esse quasi communem urbem, & ciuitatem hominum, & deorum, & unumquemque nostrum eius mundi esse partem: ex quo illud natura consequi, ut communem utilitatem nostrae ante ponamus, ut enim leges omnium salutem singulorum saluti anteponunt: sic uir bonus, & sapiens, & legibus parens, & civilis officij non ignarus, utilitati omnium plus, quam unius alicuius, aut suae, consulit: nec magis uituperandus est proditor patriae, quam communis utilitatis, aut salutis desertor propter suam utilitatem, aut salutem. ex quo fit, ut laudandus sit is, qui mortem

appetat pro rep. qui doceat cariorem nobis esse patriam, quam nosmet ipsos. quoniamq. illa uox inhumana, & scelerata dicitur, eorum, qui negant se recusare, quo minus, ipsis mortuis, terrarum omnium omnium deflagratio consequatur; quod uulgari quodam uersu Graeco pronuciari solet: certe uerum est, etiam is, qui aliquando futuri sint, esse propter ipsos consulendum. ex hac animorum affectione testamenta, commendationesq. morientium natae sunt. Quodq. nemo in solitudine uitam agere uelit, ne cum infinita quidem uoluptatum abundantia; facile intelligitur, nos ad coniunctionem, congregationemq. hominum, & ad naturalem comunitatem esse natos. Impellimur autem natura, ut prodesse uelimus quam plurimis, in primisq. docendo, rationibusq. prudentiae tradendis. itaque non facile est inuenire, qui, quod sciat ipse, non iradat alteri. ita non solum ad discendum propensi sumus, uerum etiam ad docendum. atque, ut tauris natura datum est, ut pro uiculis contra leones summa uis, impetuaq. contendant: sic is, qui ualent opibus, atque id facere possunt, ut de Hercule, & Libero accepimus, ad seruandum genus hominum natura incitantur. atque etiam, Iouem cum optimum, & maximum dicimus, cumq. eundem salutare, hospitalem, statorem; hoc intelligi uolumus, salutem hominum in eius esse tutela. minime autem conuenit, cum ipsi inter nos abiecti, neglectiq. simus, postulare, ut dijs immortalibus cari simus, & ab his diligamur.

EXPLANATIO

AT illa, quae in concha patula pinna dicitur, Pinna concha est. Huius naturam refert Plinius lib. ix. cap. 42. VULGARI quodam uersu Graeco εμου θυγγυτος, γαλα μυχθητο πυρι. Suetonius in Nerone.

C I C E R O

QUAEADMODUM igitur membris utimur prius, quam didicimus, cuius ea utilitatis causa habeamus: sic inter nos natura ad civilem communitatem coniuncti, & consociati sumus. quod ni ita se haberet; nec in stitiae ullus esset, nec bonitati locus. & quo modo hominum inter homines iuris esse uincula putant, sic homini nihil iuris esse cum bestiis. praecclare enim Chrysippus: cetera nata esse hominum causa, & deorum, eos autem communitatis & societatis suae: ut bestiis ho-

mines uti ad utilitatem suam possint, sine iniuria: quoniamq. ea natura esset hominis, ut cum genere humano quasi civile ius intercederet; qui id conseruaret, eum iustus; qui migraret, iniustus fore, sed, quemadmodum, theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, eius esse eum locum, quem quisque occuparit: sic in urbe, mundo ne communi non aduersatur ius, quo minus suum quidq. cuiusque sit. Cum autem ad tuendos, conseruandosq. homines hominem natum esse uideamus: consentaneum est huic naturae,

naturae, ut sapiens uelit gerere, & administrare remp. atque, ut e natura uiuat, uxorem adiungere, & uelle ex ea liberos procreare. Ne amores quidem sanctos a sapiente alienos esse arbitrantur. Cynicorum autem rationem, atque uitam alij cadere in sapientem dicunt; si quis eiusmodi forte casus inciderit, ut id faciendum sit: alij, nullo modo. Vt uero conseruetur omnis homini erga hominem societas, coniunctio, caritas; & emolumentum, & detrimenta, quae ἀρετήματα, & βλάμματα appellant, communia esse uoluerunt: quorum altera profunt, nocent altera: neque solum ea communia, uerum etiam paria esse dixerunt. Incommoda autem, & commoda (ita ἀνεπιμήματα, & εὐεπιμήματα appello) communia esse uoluerunt, paria noluerunt. illa enim, quae profunt, aut quae nocent, aut bona sunt, aut mala; quae sint paria, necesse est: commoda autem, aut incommoda in eo genere sunt, quae praeposita, & reiecta dici-

mus. ea possunt paria non esse. sed emolumenta communia esse dicuntur: recte autem facta, & peccata non habentur communia. Amicitiam autem adhibendam esse censent; quia sit ex eo genere, quae profunt. quamquam autem in amicitia alij dicant, aequae caram esse sapienter rationem amici, ac suam; alij autem, sibi cuique cariorem suam: tamen hi quoque posteriores fatentur alienum esse a iustitia, ad quam nati esse uideamur, de trahere quid de aliquo, quod sibi assumat. Minime uero probatur huic disciplinae, de qua loquor, aut amicitia, aut iustitia propter utilitates adscisci, aut probari. eadem enim uoluptates poterunt eas labefactare, atque peruertere. etenim nec iustitia, nec amicitia esse omnino poterunt, nisi ipsae per se expectantur. Ius autem, quod ita dici, appellariq. possit, id esse naturam; alienumq. esse a sapiente, non modo iniuriam cui facere, uerum etiam nocere.

EXPLANATIO

QVI migraret, & Pro, Qui mutaret, qui discederet ab eo iure. antique usurpatum cum accusandi casu. ut l. 111. deleg. Quod quis earum rerum migrasset, noxae poena par esto. & l. 1. de Diu. ubi est in uulgatis libris, Ne communi iure migrare uideatur, ueteres aliquot habent, Communia iura. Et lib. 1. de off. Ea migrare interdum, & non seruare sit iustum. Sic locutus Plautus. Haec Paullus pater. Quo minus suum quidque cuiusque sit & quo suum cuique conseruaretur. Velle ex ea liberos procreare. & Qui coniungat hoc cum uerbo, Velit, a quo pendet; intelliget, Velle, locum non habere. quid enim est, Vt sapiens uelit uelle ex uxores liberas procreare? Haec Paullus pater. Quorum altera profunt, nocent altera: & Glossema suspicor fuisse ad Graeca uerba, ἀρετήματα, βλάμματα. nec uero, cum dixisset iam, Emolumenta, & detrimenta, intulisse Ciceronem uerisimile est, Quorum altera profunt, altera nocent. Haec Paullus pater. Id esse naturam; Natura, liber Tertii: nec displicet, totum autem hoc regatur ab eo necesse est, Probatur huic disciplinae. Haec Paullus pater.

CICERO

Nec uero rectum est, cum amicis, aut bene meritis consociare, aut coniungere iniuriam: grauis sineq., & uerissime defenditur, numquam aequitate ab utilitate posse seiungi; & quidquid aequum, iustumq. esset, id etiam honestum, iustissimq., quidquid esset honestum, id iustum etiam, atque aequum fore. Ad easq. uirtutes, de quibus disputatum est, dialekticam et adiungunt, & physicam: easq. ambas uirtutem nomine appellant; alteram, quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, ne ue nunquam captiosa probabilitate fallamur, eaq., quae de bonis, & malis diceremur, ut tenere, tueriq. possimus. nam sine hac arte quemuis arbitrantur a uero abduci, falliq. posse. recte igitur, si omnibus in rebus temeritas, ignorantiaq. uitiosa est, ars ea, quae tollit haec, uirtus nominata est. Physicae quoque

non sine causa tributus idem est bonus: propterea quod, qui conuenienter naturae uicturus sit, ei & proficiscendum est ab omni mundo, & ab eius procuratione. Nec uero potest quisquam de bonis, & malis uere iudicare, nisi omni cognita ratione naturae, & uitae, etiam deorum, & utrum conueniat, nec ne, natura hominis cum uniuersa. Quaeq. sunt uetera praecepta sapientium, qui iubent tempori parere, & sequi deum, & se noscere, & nihil nimis, haec sine physicis quae uim habeant, (& habent maximam) uidere nemo potest. Atque etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias, & reliquas caritates quid natura ualeat, haec una cognitio potest tradere. Nec uero pietas aduersus deos, nec quanta his gratia debeatur, sine explicatione naturae intelligi potest.

EXPLANATIO

QUEMUIS arbitrantur & Qui superiora leget, aptius iudicabit, Arbitrantur, quam, ut antea, Arbitramur. Hoc etiam ex uetere libro. Haec Paullus pater. Ars ea, quae tollit haec, & Cui teretes aures sunt, intelligensq. iudicium, is, non dubito, quin hoc magis probet, accedente libri ueteris auctoritate, quam illud uulgo receptum, Ab his ea, quae tollit haec. Haec Paullus pater.

CICERO

Sed iam sentio me esse longius prouectum, quae proposita ratio postularat. uerum admirabilis compositio disciplinae, incredibilisq. rerum traxit ordo. quem,

per deos immortales, non ne miraris? quid enim aut in natura,



IN
M. TVLLII. CICERONIS
DE . FINIBVS
BONORVM . ET . MALORVM

LIBRVM . IV.

Commentarius Aldi Mannuccij .



CICERO



UAE cum dixisset, finem ille . ego autem, nae tu, inquam, Cato, ista exposuisti tam multa memoriter, tam obscura dilucide . itaque aut omitamus contra omnino uelle aliquid, aut spatium sumamus ad cogitandum, tam enim diligenter, etsi mirus uere, (na

non id quidem audeo dicere) sed tamen accurate non modo fundatam, uerum etiam exstructam disciplinam non est facile perdiscere. Tum ille, ain tandem? inquit: cum ego te hac noua lege uideam eodem die accufatori respondere, & tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? quae tamen a te agitur non melior, quam illae sunt, quas interdum obtines. quare istam quoque aggredere, tractatam prae-

sentim ab alijs, & a te ipso saepe, ut tibi deesse non possit oratio. Tum ego, non mehercule soleo temere contra Stoicos: non quo illis admodum assentiar: sed pudore impedior: ita multa dicunt, quae uix intelligam. Obscura, inquit, quaedam esse confiteor: nec tamen ab illis ita dicuntur de industria: sed inest in rebus ipsis obscuritas. Cur igitur, easdem res, inquam, Peripateticis dicentibus, uerbum nullum est, quod non intelligatur? Easdem ne res, inquit? an parum differui, non uerbis Stoicos a Peripateticis, sed uniuersa re, & tota sententia dissentire? Atqui, inquam, Cato, si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit, Putabam equidem satis, inquit, me dixisse. quare ad ea primum, si uidetur: sin aliud quid uoles, postea. Immo isto quidem, inquam, loco, nisi iniquum postulo, responde arbitratu meo.

EXPLANATIO



PERDISCERE. 3 sumptum a causis iudicialibus, quas responsuri oratores perdiscant necesse est: quod ea confirmant, quae sequuntur. CUM ego te hac noua lege Bene, Noua lege: nam tempus orandi praescriptum erat oratoribus. id erat duarum horarum, ad clepsydram.

CICERO

UT placet, inquit, etsi illud erat aptius, aequum cuique concedere. Existimo, inquam, Cato, uete- res illos Platonis auditores, Speusippum, Aristotelem, Xenocratem, deinde eorum Polemonem, Theophrastum, satis